Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1679
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 147. *Positio M. Ja* (cobi de Miza) *de ymaginibus.* Ea videlicet: *Vtrum secundum legem euangelicam plebes christi fideles necessitantur in templis suis aliquam habendo ymaginem colere adorare uel aliter quomodolibet venerari.* Ut alibi.

VI. *fol.* 160. *Sermo M. Jacobelli de Purgatorio.* In illud I. *Cor.* 11. *Ipse autem saluus erit. sic tamen quasi per ignem.* Ut alibi. Vide *Indicem.*

VII. *fol.* 168. absque titulo Dissertatio illa *De Usuris*, quae incipit: *Licet usura in bona significatione capiatur pro disposicione spirituali* &c. et recensita est *Cod.* CCCCXXIII. N. 4.

VIII. *fol.* 204. sine titulo Opusculum de variis *Virtutibus* indicans diversos earum *Gradus.* Initium: *De caritate. Infimus gradus caritatis est diligere amicum a quo homo diligitur, honoratur, fouetur* &c. Postremum pertractatur *Gaudium.*

IX. *fol.* 210. Oratio sensata et elegans ad Deum ad Ecclesiae pacem et concordiam impetrandam, quae infit: *Rarissimus est qui zelum dei habeat, vicem tuam doleat* &c.

X. *fol.* 211. *De VII horis canonicis.* Initium: *Septies in die laudem dixi tibi &c. ut in psal. Quamuis enim deus semper in omni tempore a nobis sit laudandus* &c. *Henrico de Hassia* tribuit *Trithemius*, sed vide Dicta ad *Cod.* CCCLXVII. et DLXXX.

XI. *fol.* 215. *Oratio Magistri laurencij.* Initium: *Ecce nunc preuenientis gratie illuminati splendoribus clare cognouimus, quod hactenus errorum inuoluti tenebris ignorabamus.* &c. *Laurentium* hunc Parochum ad S. *Henricum Pragae* putem, qui inter *Petri Paynii* realem Christi in Sacramento praesentiam vellicantis Adversarios memoratur *Balbino Boh. Doct.* P. I. p. 87. Ceterum ab *Hussi* partibus stetit.

XII. *fol.* 215. p. 2. Decretum *Joh. Cardinalis* Rectoris et totius Coetus Magistrorum Acad. *Prag.* pro Purgatorio, Imaginibus, Benedictionibus Fontis, Salis, Cereorum &c. Initium: *Cum heu presentibus periculosis ac gemebundis temporibus, ad que mundo senescente fines venere seculorum* &c. *Datum prage Anno d. MCCCC° XVII°. die VII. Mens. februarii in plena Congregacione Magistrorum Vniuersitatis sub Sigillo &c.* Sed nempe non tali auxilio, nec defensoribus istis tempus egebat. Ceterum, an ullibi typis vulgatum *Decretum* istud, ignoro. Msptum indicavi *Cod.* CCCCXXII.

CCCCXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 831
XV. Folior. 188. 8. currente, difficilique manu scholastica exaratus, olimque ad *Collegium Caroli Pragense* pertinens continet: I. Prolixum Tractatum, quo impugnantur singuli *Picarditarum* errores, qui e variis Catalogis noti sunt, ab Autore docto, qui tamen *Wiclefo* et *Rokyczanae*

favet